



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis De  
Chri//stianarum rerum memoria li-//bri decem**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1531**

**VD16 H 224**

De epistolis foecundis patrum, repositis in bibliotheca & Hippolyto  
episcopo. Cap. VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29805**

RERVM MEMO. LIB. VI.

no sufficere non potens. Interea Serapion quoq; Antiochia episcopus, vir magnæ eruditionis, cuius multa habentur opuscula, defungitur. Cui succedit Asclepiades, & ipse vnus ex præclaro numero confessorū.

ANTONINVS regnat septem annis  
& sex mensibus. Cap. V.

**S**Ed & Antoninus imperator diem obiit, cui succedit Macrinus. Quo in breui consummato, id est, post annum, successit imperator Antoninus. Cuius primo imperij anno Zephyrinus Romanus pontifex diem obiit, Calisto succedente, Zephyrinus Papa sedit annis octo, quo etiam finem faciente, præfider Urbanus, qui & ipse post octo annos, sedem reliquit Pontiano. Sed & Antonino quatuor annis functo imperio, succedit Alexander.

HAYMO. Cap. VI.

**P**ER idem tempus florēt in ecclesia disertissimi viri, quorum epistolas quas ad se inuicem dabant, tam facundas q̄ fecundas, Alexander venerabilis Hierosolymorum episcopus in bibliotheca Hierosolymorū, quam & ipse multo labore & sumptibus ad posteriorum vtilitatem construxerat, facit diligenter reponi. HAYMO: Agimus gratias tantæ patrum diligentia, quorum circa sacras scripturas tam feruentissima occupatio, & tam iugis sollicitudo fuit, vt non solum scriberent libros, vel explanarent, sed etiam scripta quorumlibet viroꝝ illustrium diuinit<sup>9</sup> inspirata, multis laboribus, multis quoq; expensis in opus notariorum sibi coaceruarent, ad profectū vniuersalis ecclesiæ. Hac ergo mercimonia pretiosa, hic

## HAYMO DE CHRISTIA.

uiuus extitit thesaurus, comparare sibi scripta maiorum, & condere bibliothecam, aggregare libros in arcibus templorum, magis quam nummos in arca. Audiant huius temporis ecclesiasticæ personæ & rubore confundantur, qui à vestigiis patrum tam impudenter & imprudenter recesserunt, quod serui facti sunt ancillarum, ambitionis & pecuniæ. Et qui potuerunt sublimes scripturas indagare fortassis facilius, quam maiores nostri, cum illorum diligētia exemplaribus copiosius abundant, prohpudor nunc ad infima rerum & cōtemptibilia, ad ciuiles causas & loculos conuertuntur. Sed hæc hæctenus. In illis diebus Hippolytus episcopus multorum conditor opusculorum, inter cætera sua libellum de Pascha edidit, in quo etiam temporum Canonem & descriptionem quandã pulchra ratione depingit. BEDA: Hic decennouenalem circulum Paschæ reperiens primus dedit occasionem Eusebio, qui de eodem decennouenali circulo tractatum composuit.

ALEXANDER regnat xix. annis.

Caput VII.

**I**Nterea Alexandro imperatore defuncto, Maximinus Cæsar succedit. Iste primus ex militari corpore absq; decreto senatus, impator efficitur. Quisdam odio aduersus p̄decessoris sui Alexandri domũ, & matrem eius Mammeam pro eo maxime, q̄ Christiana erat, & Origenem presbyterum, quem Romæ accitum & honorifice habitum ipse audierat, qui tũc non solum Alexandria, sed toto orbe clarus habebatur, infestat. Hac inquam occasione persecutionem